



dedisset, etiam post mortem parentis eius, cuius in potestate fuisset, actio petitioque daretur: ut scirent, qui pessimo exemplo foenerarent, nullius posse filiofamilias bonum nomen exspectata patris morte fieri.

§. II.

De origine, occasione, ac historia huius Scti
quaedam.

Filiusfamilias jure romano, quamvis intuitu patris sui fuerit homo alieni iuris, tamen in relatione ad alios cives iuribus gavisus patris familias ac commercio iuris usus est communis, hinc modo fuerit majorennis omnes valide celebrare atque inire potuit contractus, ex iis agere et conveniri potuit a). Ab hac regula generali leges et in specie Sctum Macedonianum intuitu mutui pecuniarii fecit exceptionem. Tristissimi enim exinde orti sunt casus, quod foeneratores filiisfamilias mutuum dando pecuniarium occasionem praeberent, luxuriose vivendi, ac voluptatibus inservienti, quod fieri non potuisset, nisi ab his pecunia ipsis fuisset subministrata, hinc quoque cum vivo patre nil haberent proprii, unde solverent, haud raro ingenti atque illicito foenore ita sunt obruti aere alieno. ut morte patris existente tota paterna privarentur hereditate,

a) L. 39. ff. de obligat. et action. ibi generaliter: *filiusfamilias ex omnibus causis tamquam paterfamilias obligatur et ob id agi cum eo, tamquam cum paterfamilias potest.*
§. 6. Inst. de inutil. stipul. ibi: *filiū vero familias aliis obligari possunt.*